

& adhuc superest. Hic verò, licet in amplâ dignitate fortunâq; natus, omnia tamen hæc fortunæ bona, ingenii amplitudine superavit, subtilis Mathematicus, eloquentissimus Orator, felix Medicus, prudens Paterfamilias. Quò vel nomine sacram ejus memoriam adhuc habet Academia torrente & masculâ loquentis oratione, per plures annos, tamdiu animata, donec vacationem, & honestum otium provectior ætas procurâisset; in quo ne desisteret negotiosus esse, Communitatis Regiæ procurationem porrò continuavit, magno rei familiaris, non famæ detrimento. Solus ille ex Professorio ordine, qui, quantum ad nos pervenit, annis cum seculo certavit, vicissetq; ni unicum obstitisset lustrum, solus, qui,